Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26207
Copyright: Admont, Benediktinerstift

immortalis et impassibilis esse fieret. sed dico tale meritum. tali premio erat dignum.

Q(uaestio) quomodo simul in eadem anima potuit esse summa beatitudo et tristicia. dampnum enim passionem. hec duo fuerunt in Christo. Quod enim ibi fuit beatitudo secundum unitatem ex quo fuit homo credendum est. alioquin quomodo esset unus deus non video. Item quod ibi fuit tristicia constat. cum ipse dicat tristis est anima mea usque ad mortem. Solutio. Sic in paulo fuit vis inferior et vis superior. sic in Christo fuit vis inferior anime. scilicet motus vel affectus quidam qui mortem horrebat ratio tamen superior in sua beatitudine libera vigebat. Non enim affectus carnis impositione sic incertis rationem impediebat in aliquo. ut minus divinitatem contemplaretur. Item Q(uaestio) quomodo maiorem beatitudinem non habuit post resurrectionem. quam immortalitatem et impassibilitatem induit. Solutio. Non tamen plus habuit quantum ad mentem. sed quod prius habuit. tamen quietius possedit. sic rex regnum suum quieti et securius possidet. cessantibus infestare inimicis. Propter quod et donavit. etc. Nonne prius habuit nomen quod est super omne nomen. quomodo ergo dicitur. propter quod donavit. Hoc solum enim secundum quod deus est. datum est hoc nomen ab eterno secundum naturam. sed et secundum quod est homo a sua conceptione datum est illud homini assumpto secundum gratiam. Solutio. Tunc res dicitur fieri quando innotescit. Quod enim prius habuit. tamen primum post resurrectionem hominibus et demonibus innotuit.

Item Q(uaestio) cui datum sit hoc nomen an deo an homini. Solutio. Augustinus dicit quod homini et non deo datum est nomen quod est super omne nomen. scilicet ut sit deus dei filius per gratiam. non participationis. sed per gratiam unionis. ut totum habeat homo assumptus per gratiam quod habet deus genitus per naturam. Per gratiam itaque homo habet filius esse non filius gratie. sed filius nature.

Aliter dicit ambrosius quod deo non homini datum est nomen quod est super omne nomen. Sed numquid augustinus et ambrosius super hoc contraria sentiunt. Solutio.

Alia est donatio gratuita de qua augustinus agit. alia natalis de qua loquitur beatus ambrosius. Datum est homini ut sit deus. per personalem unionem. statim in sua acceptione. Quando enim deus factus est homo. per dignationem. et homo factus est deus per gratiam. non deus adoptivus. sed deus natalis. deus eternus. deus omnipotens. Deo autem genito datum est ab eterno esse deum per naturam. Itaque nulla est in intelligentia contrarietas inter doctores inita-

iii. tis. Qui spiritum suum deo.

Nota quod servitus que soli deo debetur dicitur latria. unde et ydolatria que dei cultum exhibet ydolis. et talis abhominatio dicitur ydolatria.